

AN. 240.
27.

VITA
M. BALTHASARIS
DÜRINGI,
PRIMI
COBURGENSIS
ECCLESIÆ REFORMATORIS,
CONCIONATORIS
AC TANDEM
PASTORIS EVANGELICO-
LUTHERANI,
DELINEATA
ab
Illustris Gymnasii Casimiriani
Bibliothecario,
JOHANNE GEORGIO BRÜCKNERO.

COBURGI,
Literis HAGENIANIS, MDCCXXXIV.



I. N. J.



Icuti nemo negabit, ingens certè Dei O. M. Domum ac beneficium fuisse, quando Patres nostros, Coburgensium & vicinarum terrarum incolas, in tenebris Paganismi plusquam Cimmeriis & spiritualis mortis umbra sedentes, Evangelii sui luce collustravit & ruptis nefandi creaturarum & idolorum, Solis, arborium, Martis, Strufæ s. Palladis &c. Cultus & cœcæ superstitionis vinculis ad verum veri numinis cultum vitamque spiritualem ac divinam paterna sua manu duxit; ita quilibet pia mente præditus, cum attentiūs perpenderit, illorum posteros, ob gravissima peccata Evangelicique luminis contemtum, à justissimo Deo ad tempus quidem repudiatos, Pontificiæque superstitioni & tenebris traditos, tamen, præter omne meritum, primo ferre Reformationis tempore, in gratiam divinam receptos, ab intolerabili Papatus servitute solutos & filiorum Dei libertate inestimabili, legendi verbum divinum, credendique ac agendi, quæ in illo ad salutem revelata sunt, rursum donatos esse, se continere vix poterit, quin, cum admiratione & laude Deo debita, hanc severitatem pariter ac bonitatem ejus intueatur & cum Prophetæ exclamat: *Quis est Deus fortis, justus ac clemens paribi? condonans iniquitatem & præteriens defctionem reliquis possessionis suis non retinens in eternum iram suam, eo quod deleetur benignitate? Conversus misertus est nostri, subegit iniqüitates nostras: imo proicit in profundissimum maris omnia peccata nostra,* (a) *præstlit fidem* datam per Jesaiam: (b) *Populus ejus, qui ambulant in tenebris, videbunt lucem magnam, super confidentes in terra umbra lethalis lux splendebit.*

Quis est igitur, qui dubitet, hoc divinæ gratiæ tempus ac opus perpetua memória inter nos dignum esse? Sanè nemo. Præclaræ autem hujus rei memoria imprimis, sine dubio, conservabitur

(a) Mich. VII, 18. 19. 20.

(b) Jes. IX, 2.

bitur, si primorum Coburgensis Ecclesiae Reformatorum vitas ex
vetustis describantur monumentis. Initium laudandi hujus co-
natus jam fecit doctissimus quondam Serenissimorum Gothano-
rum Ducum Historiographus, *Christianus Schlegelius*, beatè de-
functus, in descriptione vitæ *Johannis Langeri*, primi Ecclesia-
rum Coburgensium Superintendentis. Cujus Langeri cum Col-
lega (c) ad breve tempus, imo, jam ante illud, diligens in Ec-
clesiae nostræ divina vinea operator fuerit *M. Balthasar Düringus*,
Vir perdoctus, papicolarum aliorumque doctrinarum falsarum
profligator è nostris & vicinis regionibus strenuus, pacis studio-
sissimus, illatarum injuriarum patientissimus, moderatissimus item
Theologus & laborator in opere Dei indefessus, Summis ideo
Viris, præsertim B. Lutherø & Phil. Melanchtoni, præ aliis ca-
rus & æstumatisissimus, ita, ut Lutherus *Venerabilem suum in*
Christo fratrem eum nominare haud dubitaverit (d); oleum &
operam me non perditum duxi, si præclari hujus, primi inter pri-
mos divini nostri cultus reformatores, Viri memoriam, parum
haec tenus notam, brevi quidem, sed in veritate fundata vitæ de-
scriptione conservare studerem. Id quod eò satius præstare pot-
ero, majorique mea narratio fide erit digna, cum magna illius
pars ex monumentis in Curia Regiomontana, Düringi nostri
patria, asservatis & à Viro beate jam defuncto, antiquitatum ha-
rum Scrutatore diligentissimo, apud Regiomontanos olim à con-
cionibus sacris, admodum reverendo Dn. *Krauso*, doctissimi
jam Eisfeldensis Superintendentis Patre, per amicum mecum
communicatis, deponita sit.

Ab initio igitur ut ordiar, *M. Balthasar Duringus (Düs-*
ring) s., ut alii scribunt, Thuringus, miseram hanc ac morta-
lem

: (2)

lem

(c) Vid. Schnauffli Epitaphium Joh. Langeri, ubi ita scribit:
welcher (M. Langer) neben weylsand Herrn M. Balth. Düringen
unter den ersten Evangelischen Predigern allhier gewesen.

(d) Vid. Epist. Lutheri ad Duringum, quæ est Ilda inter illas,
quas Schlegelius Initiis Reform. Cob. adjunxit, p. 200.



Iem ingressus est vitam A. 1466. (e) in urbe Regiomonte, non metropoli ista Prussia, ut Prænobilissimo ac Consultissimo Domino Consiliario Hönnio, Patrono meo honoratissimo, *in Chronic. Cob.* L. I. c. 15. p. 79. scribere placuit, sed Franconia potius oppido, ut *Cl. Schlegelius in Init. Reform. Cob.* p. 2. jamjam conjectatus est. Siquidem, non tantum *Duringorum Nomen*, partim per D. partim Th. scriptum, multis in publicis literis anno- rum 1455. 1485. 1488. 1497. 1504. 1509. 10. 11. 12. 15. 16. 17. 18. 22. 28. 42. 1600. 1632. 1718. in curia Regiomontis Franconici reconditis adhucdum legitur, verum etiam Pater M. Balth. Duringi, nomine Jacobus, Ao. 1485 & 1488. (f) Civis & Præfectus (g) in oppido Herbipolitano, Hasfurt dicto, dein A. 1497. 1504. usque ad 1511. Civis, Senator, ærarii ecclesiastici Præfectus, (h) Consul & membrum fraternitatis S. Annæ in Franconia urbe Regiomonte, se ipsum in juramenti formula, quod, certas ob causas, in curia Regiomontis in Franconia siti A. 1511. præstare debuit, *Regiomontanum* appellat (i). Ne autem quis debitetur, *Jacobum hunc Duringum*, brevi post præstitum juramentum eodem [1511.] anno mortuum, M. Balth. Duringi Patrem fuisse, id ex tribus rationibus Fraternitatis S. Annæ, in Archivo Curiæ Regiom. repertis, probabimus; nam in ipsis, quæ ab Anno 1510. - 1511. conscriptæ sunt, hæc leguntur verba: *Jacob Thürings Erben restire*

(e) Vid. Thomæ Lücht am Abend. p. 351. qui scribit, Duringum anno ætatis 63. ex hac vita migrasse, & ex sequentibus patebit, A. 1529. mortem ei obtigisse, ergo Annus nativ. ejus est 1466.

(f) Ex MSto Krausiano. Vid. etiam M. Joh. Werner Kraus vincula Petri & Wilhelmi s. Concionem eucharisticam ob latiss. redditum Wilhelmi, Sax. Duc., è Captiv. Cæs., à Schlegelio in initis Reform. Cob. p. 2. alleg.

(g) Kelner und Voigt. (h) Gotteshaus-Vorsteher.

(i) Ich Jacob During von Königsberg bekenne, daß ich in der Jar-Zal der Geburt Christi MDC. (1500) und im Elifsten ic. zu Ende: Geben nach der Geburt Christi in obgeznamter Jar-Zal am Montag unser Lieben Frauen-Tag conceptionis genannt. MSt. Kraus.

restiren in die Brüderschafft S. Anne 1. fl. 2. Pfund 24.pf.
Einschreib. Geld und Testament für sich und Anna seine
erste Haß. Frau; in aliis de A. 1518. hæc scripta reperiuntur:
M. Thüring/ Jacob und Körner zu Zeil restiren 3. Pfund
15. pfen. zu ihrem Theil noch ihres Vaters wegen/ &
tandem in rationibus 1522. confectis: Magister Thüring/ Ja-
cob und Hans Körner restiren 3. Pfund 15. pfen. von ih-
res Vaters und Schwäbers wegen. (k)

Magistrum igitur *Balthasarem Duringum* Jacobi filium &
quidem Regiomontano Francum fuisse, quis est, qui hisce per-
pensis adhuc in dubium vocet? nisi forte quis ex eo, quod Jaco-
bus Duringus primum civis Hasfurtensis dicatur, conjicere velit,
M. *Balthasarem Duringum* Hasfurti potius, quam Regiomontis
natum fuisse, quæ conjectura autem, quia Jacobus se ipsum, ut
supra ostendimus, *Regiomontanum* appellat, & M. B. *Duringus*,
jam ante, quam Pater ipsius civis Hasfurtensis fuisse reperitur, na-
tus fuit, non satis firmo, meo quidem judicio, nititur fundamento.

Quibus præceptoribus usus fuerit, quasque Scholas & Aca-
demias in juventute frequentaverit *Balthasar* noster *Duringus*,
erui non potest. Tantum interim ex membrana Regiomontana
seire licet, eum A. 1516. Regiomontis, cum vicarii officium ei
mandaretur, publico jam munere, Presbyteri nimirum, fun-
ctum fuisse. Nam cum A. 1516. d. 1. Julii Episcopus Herbipolen-
sis Laurentius Vicarium, ut vocabant, à *Job. Kelnero*, Presby-
tero ac vicario in Ecclesia Regiomontana, Canonico item Alten-
burgensi, A. 1508. ad S. Urbani altare in Ecclesia Regiomontis Pa-
rochiali fundatum, ab eoque 600. fl. & à Nic. Kislingio 8. fl.
dotatum confirmasset, Senatus Regiom. hocce vicarii munus
eodem (1516.) anno *Balthasari Duringo*, Presbytero, his verbis
contulit: *Ut horas Mariae cantaret, missam legeret die martis &*
Sabbathi, Plebano adstantem & Rectorem revereretur. Certè di-
gni tali viro aliisque salutares labores, ex quibus multum salutis

: (3) &

(k) Ex MSto Krausiano.



& solatii ad Regiomontanos ejus temporis Christianos redundaverit; quibus perficiendis *Balbasar* noster tanto etiam incumbebat studio, ut illis brevi tempore post plane valediceret, Wittebergam, (l) orta ibi Evangelii luce, se conferret, Lutherum aliosque purioris divini cultus magistros audiret, scripta illorum legeret veramque Evangelii doctrinam amplecteretur. Et cum esset Vir optimus, & *αριστοκράτης*, ut *Phil. Melanchton* eum nominat, (m) nihil habens populare, ita in Academia ista se gesxit, ut Lutherus & Professores illius, quorum studiorum amantissimus erat, non tantum bene de eo sperare, sed etiam confidere possent, talem Ecclesiæ Doctorem dignissimum futurum, qualem cognitum judicarunt. Quapropter summis in Philosophia honoribus A. 1517. (n) ibide ornatus Coburgum nostrum anno, ut videtur, 1519. (o) accessitus & in numerum Sacri Synedrii Assessorum, (p) qui tum res matrimoniales præcipue & Ecclesiæ dirigerent, receptus est, quo tempore etiam prima purioris doctrinæ semina h̄ic loci illum primum sparsisse credibile est. Hoc autem officio per aliquot annos functo, A. circiter 1524. (q) Wittebergam, firmiora ibi, in Theologicis

præ-

-
- (l) Omnes Scriptores consentiunt, Duringum Wittebergā Coburgum venisse, & in sqq. probabimus, id. 1519. factum esse & per decennium eum Sacro muneri h̄ic præfuisse, it. A. 1517. primum Magistrum nominatum fuisse, E. veritati consentaneum videtur, ipsum Regiomonte reliquo A. 1517. Wittebergam adiisse.
 - (m) In Epist. ad Philipp. Eberbachium, Rector. Scholæ Coburgensis, Initiosis Reformi Cob. Schlegelii adjecta, p. 212.
 - (n) Cum Vicarii munus ei 1516. conferretur, nondum, in rationibus autem duabus posterioribus fraternitatis S. Annae supra allegatis A. 1517. & 1519. Magistri titulus ei tribuitur, ergo verisimile, ipsum hos honores 1517. esse consecutum.
 - (o) Si A. 1529. mortuus & per decennium h̄ic docuit, ut infra ostendemus, eum jam A. 1519. Coburgum venisse, res evicta est.
 - (p) Vid. Prænobiliss. Dn. Hænnius in Chron. Cob. p. 63.
 - (q) Scripsimus supra, Duringum jam A. 1519. Coburgum venisse, &



da-
im-
Vit-
rum
rum
es-
um
a se
a
am
ntu-
Phi-
no-
Sa-
eci-
pri-
isse
A.
cis
—
Co-
sse
17.
um
le.
ar-
ra
go
o-
st,
e,
x

præsertim, iacturus fundamenta & majora in eis facturus incre-
menta, more, tunc temporis inter eos etiam, qui publico jam mu-
neri præerant, consueto, reversus est. Id quod eò facilius fa-
cere potuit, cum ipsi Salarium ob Vicariatu ad S. Urbanum à
Regiomontano Senatu adhuc quotannis solveretur, usque dum
Witteberga A. 1525. Coburgum ad Concionatoris officium ob-
eundum revocatus, (r) Vicariatum istum in manus Senatus Re-
giomontis resignaverat. (s) Hoc in tempore & officio talem se
præstitit *Duringus noster*, quales esse Christus discipulos suos
adhortatus est. Matth. XV, 16. *Splendeat lux vestra coram ho-
minibus, ut videant fidem & bona opera vestra, glorificantque
Patrem illum vestrum, qui est in cælis.* Primo enim ejus apud Co-
burgenses adventu similis erat Phosphoro, læto imminentis diei
nuncio, nonnihil jam purioris Evangelii lucis in terras nostras,
papatus tenebris obscuratas, demittens. Postquam autem Wit-
tebergå majori ibi Spiritus S. & verbi divini lumine collistratus,
hic redux factus erat, splendidissimo in & ex eo lucente verita-
tis divinæ fulgore mendaciorum illam Papalium noctem, ab-
rogatis jam 1524., per novam Electoris Saxonici constitutionem,
(t) vigiliis, missa pro defunctis, candelarum accensione, in exe-
quiis olim usitatis ceremoniis Papalibus, magis magisque dispel-
lere atque discutere cœpit, eamque tandem, præsertim adju-
van-

& Dn. Hænnius ait l.c., eum A. 1523. S. Synedrii officium Alles-
föris ib. obiisse, & in Annal. Cob. p. 137., A. 1525. Wittebergå
huc vocatum esse, E. probabile, Duringum anno circiter 1524.
Coburgo Witebergam ob allegatas causas reversum fuisse.

(r) Vid. Dn. Hænnius in Annal. p. 137.

(s) Ita scriptit Dn. Krausius l.c. Vorberndter M. Düring hat die
Einkünfte seiner Vicarey 9. Jahr von A. 1516. bis 1524. genossen.
Als er aber A. 1525. von Wittenberg aus zu einen Prediger nach
Coburg berufen worden, hat er solche Vicarey dem Rath zu Ko-
nigsberg wieder übergeben, welcher die Einkünfte 4. Jahr, nemlich
A. 1525 - 1528. inclus. innen behalten und genossen, nachmäzlen
aber dem Gottes-Kasten bezahlen müssen.

(t) Vid. Prænobil, Dn. Hænnius l.c. p. 137.



vante postea Præposito Alganero, veritatem mox amplectente, Lan-
gero item aliisque S. Synedrii Assessoribus & ad visitationem no-
stræ Ecclesiæ constitutis (u) Viris, plane propulsavit, ita, ut filii
tenebrarum, duodecim nim: Sacerdotes missifici in templo ad
S. Mauritium & septem ad S. Crucem ac tandem A. 1526. octo
discalceati Monachi in monasterio, nunc die Ehrenburg dicto,
degentes, sereniorem ortam & adfulgentem veritatis Evangelicæ
lucem non perferentes, isti sese subducere cogerentur. (x)

Qui sinceræ doctrinæ pariter ac vitæ integræ magnæque
ideò autoritatis splendor in *Duringo* nostro, sicut nostris in regi-
onibus, ita etiam in Regiomontanis, præclarè luxit; id quod non
tautum exinde patet, quod, cum A. 1526. tempore autumnali
Anabaptistarum infania multorum in urbe & Centena Regio-
montana invaderet animos, Annoque 1527. die Lunæ post Dom.
Judica, quidam horum hominum, nomine *Beutelhans* / (y)
capitis damnatus, gladio ibidem necari deberet, hic multis pre-
cibus & propter Deum Prætorem *Conradum Gozmannum*, [z]
eo tempore, quo mortis sententiam ipsi annunciarerat, roga-
ret, [a] ut antequam capite plecteretur, *M. Balthasar Durin-*
gus, Ecclesiæ Coburgensis Concionator, Regiummontem accer-
seretur

(u) Dn. Hænnius in Chron. p. 63. Seckendorf. Hist. Luther. lib. II.
p. 101. Dn. Hænnius in Annal. p. 137. 141. 144. & ex illis
Schlegel. l. c. p. 28. 46.

(x) Vid. Dn. Hænnius in Annal. p. 137. 138. 140. ubi etiam hæc le-
guntur: Um welche Zeit auch die Anordnung, in denen allhiesigen
Kirchen Deutsch zu singen und zu lesen, beschehen.

(y) Prænob. Hænnius in Annal. p. 140. 141. ubi inter alia: Dass
auch ein Bürger zu Königsberg, der Beutelhans genannt, heim-
lich zu predigen und Schulen zu halten, sich untersangen, als wurden
sie auf Befehl Ihro Churfürstl. Durchl. zur Hass gebracht, und wie-
wohlen sie hierdurch ihre Leiber, Haab und Güter verwircket, jedoch
der gefänglichen Hass erlassen.

(z) Legati munere in pacis negotio postea fungentem A. 1528.
ex parte Elect. Sax. ad Episc. Heribopol. vid. Schlegel. l. c. p. 43. 44.

(a) MSt. Kraus.

seretur, quod cum ipso, ante vitam suam finem, de doctrina salutis colloqui, responsionesque illius, de Anabaptistarum np. dogmatibus, audire & si convictus, ad saniorem mentem redire posset; Verum etiam, postquam A. 1528. Concionator & Pastor Regiomontis, *Bartholomeus Gütlein*, (b) multas & magnas in illo oppido dissensiones excitaverat, istiusque urbis Ecclesia in aliis etiam rebus, propter nimis multas praelertim conciones, [c] quae sine necessitate die Dominica aliisque ibi habebantur, ceremonias item papales intolerabiles, curata ordinatione & reformatione indigebat, M. *Balthasar Duringus*, fassione *Phil. Melanchtonis* & amore patriæ motus Regiomontem accessit, de Ecclesia ordinanda & concionatore isto modestiore reddendo deliberavit, ad *Phil. Melanchthonem* eam ob causam scripsit, responseque d. 16. Julii 1528. ab eo obtenta, Pastorem tandem iteratis gravissimis suis commonitionibus moderatiorem totumque Ecclesiae statum, sopitis Anabaptistarum turbis, tranquilliores fecit. [d] Quam ob causam sicut Melanchton magnopere gavisus est, laetitiamque suam de prospero hoc operis divini apud Regiomontanos per Duringum successu in literis ad eum datis publicè declaravit; ita & nostra Civitas eo tempore non minorem habuit laetandi rationem, Tum, quia, ejusdem præcipue Duringi & collegarum suorum (probe scientium, fidei doctrinam cum vita ac morum præceptis semper strenue conjugendam esse,) ministerio indefesso, rectaque de magistratibus, eorum ordinatione divina & subditorum erga illos & Clerum officio, ex Dei verbo institutione,

) : () : (qua

- (b) Ita nominatur in MSt. Krauf., in Epist. autem Phil. Melanchtonis, ejus causa ad Duringum scripta, nulla ius nominis fit mentio.
(c) Ita scribit Melanchton, causas dissensionum recensens, ad Duringum: Alterum etiam prodeft, non nimis multas conciones fieri. Audio, tres conciones in Regiomonte singulis Dominicis fieri. Quid opus est? due satis erant, & per totam septimanam due aut tres. In illa copia obrepit satietas populo. Sit igitur modus quidam, ne nimis etiam onerentur concionatores & ut habeant etiam aliquid vacui temporis ad discedendum. Nihil sit; cum quotidie cogentur concionari, nisi ut immeditati veniant in publicum & efficiant, quæ in buccam inciderint. Et si nihil venerit in mentem, transferunt se ad locum communem, quem unum habent pluri, nempe ad Convicia. Vid. Ep. VI. Vita Langeri adjecta, p. 204.
(d) Vid. Ep. Melanchl. cit. it, Ep. XXXII, p. 231, l. c.



qua auditores suos largè impertiebantur, effectum est, ut in notissimo isto rusticorum in Suevia, Thuringia & Franconia, contra Magistratus & Clerum tumultu, cuius natalis infausus Annus 1525. fuit, & in quo Coburgensium quoque terras inhabitantes, agrestes præsertim & nobiles multa sane perpeti cogebantur, ne unicum quidem, ut Schlegelius [e] ait, Coburgensem contaminatum implicatumque legamus; Tum etiam, quod *Duringi* nostri operâ Oris foribus Capitanei arcis Cob., *Joh. Mohri*, *Zwingli* doctrinam & convicia in dictum *Duringum*, erroribus ejus sese opponentem, maximo cum strepitu inter pocula evoementis, ceremonias nostras repudiantis & ad saniorem mentem se perduci plane & pertinaciter recusantis, firmissa repagula, ne doctrina hic longius progrederetur, obdita sunt. Scripsit enim M. noster *B. Duringus* A. 1527. hac de causa ad *Phil. Melanchtonem*, consiliaque ab eo hisce in rebus petiti, quibus per literas [f] acceptis, atque sine fruge in stulto isto & indocto, ut *Melanchton* eum appellat, rixatore applicatis, *Duringus* rem ad Saxonæ Electorem humillimè retulit, qui, postquam eam cum Luthero communicaverat hicque mentem suam per litteras A. 1528. die jovis post Epiph. Electori aperuerat, dictum Mohrum ad se vocavit, [g] incorrigibilem officio movit & hoc modo alterationibus ejus & Zwinglianam Doctrinam in nostra Civitate propagandi conatus finem fecit. His feliciter effectis, M. *B. Duringus*, Electoris Saxonæ jussu, primæ Visitationi generali Ecclesiæ Regiomontanae A. 1528. à die jovis post Martini festum, usque ad diem jovis ejusdem anni tum S. Andreae sacrum, interfuit, [h] ecclesiamque istam ordinavit & exinde Coburgum redux, *Pastor*, [i] A. 1529. post mensem Aug.

(k) omni-

(e) l. c. p. 37. (f) Vid. Ep. IV. l. c. p. 201.

(g) V. Prænob. Dn. Höchstius in Ann. p. 141. 142. 144. it. Seckend hñst. Luth. lib. II p. 124.

(h) Dn. Krausius ita: A. 1528. Montag nach Martini bis auf Montag Andreas, hat diesel. *M. During*, als ein Visitator, der ersten Chur-Sächs. Evangel. General-Visitation zu Königsberg mit beygewohnet, (vid. Visit Acta 1528.) da denn unterschieden verabschiedet und befohlen worden, daß der Rath dem Gottes-Kasten, wegen *M. During* heimgesallene Lehn, 600. fl. Haupt-Gunma und 128. fl. Abzähnß auf vier Jahr, neml. jährl. 32 fl. bezahlen soll.

(i) In Ep. IV. A. 1528. scripta & Vite Langeri adjecta Melanchton Duringum appell.

(k) omnibus in Ecclesia nostra, postquam per decennium (l) hic loci Evangelium prædicaverat, bene constitutis, ex misera hac vita, eum annum ætatis explevisset tertium ac sexagesimum, (m) discessit, peccatumque piis etiam & regenitis in hisce terris adhuc degentibus adhærens cum justitia, labores cum requie cœlesti, mœrorem cum gaudio sempiterno, tentationes satanæ, pravorum hominum & carnis gravissimas superatas cum vitæ corona immarcescibili, perpetuamque mortem cum æterna vita commutavit, splendens jam sicut sol in regno Patris sui & sicut stellæ in æternum, secundum gratiosissimam Dei Promissionem: *Docentes alios viam salutis splendebunt quasi splendor expansi, & ad justitiam, illam veram per Christum, perducentes malos, ut stellæ in sempiterna Secula.* (n) Meritò igitur Deo nostro ter optimo ter maximo maximas jam, quas possumus, persolvimus gratias, quod tanti Viri Ministerio, opera & studio indefesso à Papatus nebris liberatos & ad veritatis celestis lucem parentes nostros perductos voluerit. Hac re sane ita factum est, ut & nos, ad hoc usque tempus, divinæ doctrinæ non tantum, verum etiam aliarum bonarum literarum cognitione salutari in civitate nostra frui possumus. Ut enim in aliis, sic quoque in nostris terris studia quævis & elegantiores literæ magnopere per & post Ecclesiæ Reformatiōnem creverunt; ita, ut juvenes bonæ mentis & indolis in quovis

fere

lat *Concionatorem*, & scribit ad eum: *De Inspektione Ecclesie tua nondum desperato;* quibus verbis Schlegelius, hæc c. l. p. 202. subiungit: *Ex quo sole clarius relucet, ambiisse Duriungum Pastorum & Inspektionem Coburgensem, presente Langeri, sed mortem intercessisse, quo minus eandem obtinuerit.* Duriungum autem Pastoratum hunc omnino obtinuisse, ex eo patet, quod Lutherus ipsum in Epist. A. 1529. ad eum scripta, qua in Vita Langeri l. est, *Pastorem Coburgensem nominat, scribens: Balthasarì Duringo, Pastori Coburgensi Gratiam & pacem in Christo.* (k) MSt. Kraus.

(l) Cyriacus Schnausius, Pharmacopola & Typographus Coburgensis, in libro, cui tit. *Epitaphium von dem Christl. Testament und götsel. Abschied des Ehrenwürdigen ic. M. Joh. Langers, von Holkenhaem, Pfarrer und Superint. zu Cob. Kurzer Bericht, zu lesen und zu singen.* 1548. 8. ita scribit, *Wir solten dankbar seyn, daß uns Gott sein h. Wort lehren lassen, neml. und fast zu ersten in das hehend Jahr durch den treuen Gottes-Diener u. erleuchteten Mann, hn. M. B. Düring von Rynigseberg.* (m) Vid. Thoma Licht am Abend. p. 351. (n) Dän. XII. 3.



Ra 6920 OK. x 3577546

ferè studiorum genere in Academico hujus urbis à Serenissimo JOHANN-
 E CASIMIRO, Saxonie Duce pientissimæ memoriae, fundato & à Serenissimis ejus successoribus, hodiernis præsertim nostris Principibus
 clementissimis non solum optimè conservato, sed in meliorem etiam
 statum redacto Gymnasio erudiri possint ac instrui. Ad bonas autem li-
 teras pertinet quoq; sine dubio *Historia literaria*, Historia nimurum Sci-
 entiarum, librorum & literatorum, quippe quæ viam discentib⁹ pandit
 ad altiora, Philos., puta, Theol., Jurispr. & Med., facilius perveniendo
 studia, & sine cuius cognitione prævia nemo certè in ejusmodi literis
 magnos faciet progressus. Ut igitur hac literariæ historiae cognitione
 admodum necessaria, adhuc autem hocce in Gymnasio non tractata,
 studiosorum juventus in posterum, quantum opus est, imbuatur, Serenissimi Acheni hujus *Nutritores*, ad relationem & commendationem,
 Honoratissimorum Dominorum Scholarcharum, quo Bibliotheca ejus,
 maximo literatorum & studiosorum hujus loci detimento haetenus
 occlusa, vermis ac muribus relicta & penè devorata publici usus fieret
 & quovis die Mercurii & Saturni à mense April, usq; ad mensem Dec.
 hora tertia & quarta post merid. aperiretur atq; per duas horas singulis
 septimanis publicè studiosis publicis lectiones literariæ à Bibliothecario
 haberentur clementissime præcepérunt. Quod, ut fieret, communi
 Sereniss. Principum nostrorum jussu clementissimo illustre & honoratis-
 simum Scholarcharum collegium Bibliothecarii munus mihi contulit.
 Quapropter Serenissimis ac Clementissimis Patriæ nostræ Patribus pu-
 blicè jam humillimas, quod tali officio dignum me judicare voluerint,
 ago gratias, cum voto sincero, Deus clementissimus velit gratiam hanc
 singularem largissime in finum eorum retribuere istosq; felicissima ac
 diuturna vita bearé actueri. Horum igitur Serenissimorum vo-
 luntate clementissima & Dnn, Scholarcharum jussu omnes literarum
 Patronos, Fautores & Cultores Coburgenses, peregre item h̄c loci de-
 gentes & venientes, peto decenter, ut dictis horis ad Bibliothecam Gy-
 mnasi nostri sepiissime convenient, istam præsentia sua ornent, mu-
 nificentia autem, si libuerit, augeant, librī illius decenti modo utantur,
 à retentione autem illorum cultoq; Flaciano sibi caveant, meq; ad of-
 cia quævis, pro viribus & legibus mihi præscriptis, semper habeant pa-
 ratissimum. Vos autem studiosi juvenes carissimi ad lectiones etiam pu-
 blicas literarias, in vestrum commodum habendas, &, simulac horæ à
 Summe Rever. Dn, Directore mihi fuerint determinatae, statim incho-
 andas accedite frequenter, omnesq; valete. Dabam Coburgi è Tabula
 Gymnasii Casimiriani, pridie ante Cal. Nov. Memoriæ Reformationis
 Eccles. per Luth̄erum annuali Sacro, MDCCXXXIV.

MR. 240.
 27.
 VITA
M. BALTHASARIS
DÜRINGI,
PRIMI
COBURGENSIS
ECCLESIÆ REFORMATORIS,
CONCIONATORIS
AC TANDEM
PASTORIS EVANGELICO-
LUTHERANI,
DELINEATA
ab
Illustris Gymnasii Casimiriani
Bibliothecario,
JOHANNE GEORGIO BRÜCKNERO.

COBURGI,
 Literis HAGENIANIS, MDCCXXXIV.

